PULVERES.

PULVIS ANTILYSSUS.

℞. Lichenis cinerei terreſtris unciam unam,
Piperis nigri ſemunciam.

Misce, fiat pulvis.

PULVIS CRETACEUS.

℞. Cretæ albæ præparatæ uncias quatuor,
Nucis moſchatæ,
Caryophyllorum aromaticorum, utriusque ſemidrachmam.

Misce, fiat pulvis; qui vicem ſupplet Trochiscorum Cardialgicorum.

PULVIS DIAROMATON, ſive SPECIES AROMATICA.

℞. Nucis moſchatæ,
Cardomomi minoris,
Zingiberis, ſingulorum uncias binas.

Misce, fiat pulvis, in vitro bene obturato ſervandus.

PULVIS E JALAPPA COMPOSITUS.

℞. Radicis jalappæ unciam unam,
Cryſtallorum tartari uncias duas.

Misce, et diligenter aliquamdiu tere, ut fiat pulvis tenuiſſimus.

PULVIS E SCAMMONIO COMPOSITUS.

℞. Scammonii,
Cryſtallorum tartari, utriusque uncias duas.

Misce, et diligenter tere, ut fiat pulvis.

PULVIS STERNUTATORIUS, ſive CEPHALICUS.

℞. Foliorum aſari partes tres,
majoranæ partem unam.

Misce, fiat pulvis.

PULVIS STYPTICUS.

℞. Aluminis ſeſcunciam,
Gummi kino drachmas tres.

Terantur ſimul in pulverem tenuem.

PULVIS SUDORIFICUS, ſive DOVERI.

℞. Tartari vitriolati uncias quatuor cum ſemiſſe,
Opii,
Radicis ipecacuanhæ tritæ, utriusque ſemunciam.

Misceantur et terantur ſimul accurate, donec fiat pulvis.